

aliquando circa Alpes iter ageret, vir venerabilis S. Eucherius Lugdunensis episcopus, cum illo erat. Accidit tum, ut in media via, infelix et morbida mulier eis occurreret, manibus et pedibus contractis, per terram reptans.

Quam cum esset intuitus beatus Caesarius, interrogavit sanctum Eucherium, quid hoc esset, quod illa per terram ita se traheret. Eucherius interrogat foeminam; illa respondet se multis annis, membris omnibus fuisse contractam. Beatus Caesarius dicit sancto Eucherio : Descende et consigna eam. Ille quasi trepidante, et excusante sese; Caesarius instat, et urget. Tandem Eucherius descendit, et consignat eam aitque : Ecce feci, quod jussisti. Dicit ei Caesarius : Extenta manu, apprehende manum illius, et erige eam. Ille repondet : Quicquid aliud jusseris, non recusabit Eucherius tuus : istud ut faciam, adduci non potero. Tuum hoc est facere, cui praestitit Deus gratiam, et animas et corpora languentium curandi.

Caesarius ait : Tu interim facito quod dico. Illo plane renitente, et cum multa modestia et lachrimis sese excusante, diuque facere detrectante, Caesarius dicit : Tunc obedientiae causa in ignem ingressurus es, qui nec misericordia adduci potes, ut facias quod charitas jubet? Mitte in nomine Domini manum tuam, et erige eam. Tum ille obediens, porrigit foeminae manum, et sublevat eam. Illa vero mox integre sanata, abiit ad hospitium suum. »

